Metuque fati munus Asbystae infera
Telluris umbra subter ignotum obruent,
Ubi ducem miserrimum Cyphensium,
Nautasque ad unum flabra Volturni egerent,
Et ex Palytris filium Tenthredonis,
Amphrysiensem principem Euryampium,
Et optimatem saxicorporis lupi
Donorum edacem, et culminis Tymphrestii.
Quorum quidem Aegoneam alii patriam
Desiderantes atque Echinum et Titarum,
Irumque, tum Trachina, tum Perrhoebicam
Gonum Phalanumque, atque Olossorum sola,
Et Castanaean, insepultum in rupibus
Aevum supremis eiulabuntur malis.
Sic aliud alii funus adiunget Deus,
Dura ante reditus excitans discrimina.
Illum Aesari unda, et oppidum minutulum
Oenotriae, Crimissa, torris noxii
Stinctorem habebit, quem momordit excetra.

Namque ipsa summum diriget telum manu
Tendens tenum virago Maeoten Tuba.
Durae ad fluenta qui cremato acerrimo
Leone, valgo dexteram armavit Scytha
Colubro, volantum pinsitore cuspidum.
Crathis sepulcrum sed videbit mortui
Ad ima templa bitientis Patarei,
Ubi sonora stagna Nauaethus vomit.
Ipsum necabunt Ausones Pellenii
Opem ferentem Lindiûm praetoribus,
Quos Thermydri quos Carpathi iugis procul
Vagos coruscus Thrascias mittet canis
Novi colonos hospitisque pulveris.
Ergo Macellis maximum templum incolae
Busto struentes, numen aeternum colent
Libisque, opimis et boum nidoribus.
Faber caballi Langariae in cubilibus,
Timore Martis et catervae Thuriae
Pendens parentis peierata crimina,
Quae pecua propter comparata praelio,
Celsae Comaethus dirutis prosimuriis
Ob coniugalis curae amorem uxorium,
In Bellicam Cydoniam viraginem
Crestoniumque peieravit in Deum
Lupum Quirinum Trossulum Flexuminem,
Qui torminosum praelium in fratrem dedit
Intra parentis intimam bulgam pugil,
Natale nondum lucis intuens iubar,
Nec liber a Partundae adhuc laboribus:
Meticulosum auxere sic fetum dei,
Caestu valentem, in Marte lauricem tamen,
Et arte plurimum utilem in castris sua:
Qui circa Cirin et Cylistarni humida
Habebit hospes patria procul domos,
Ubi dolabras, queis gravem molem ascians,
Illustre damnum fabricabit incolis,
Molae sacrabit in Cluacinae tholo.

Alii tenebunt Sicanorum littora
Aborigenes, qua tres Alumento senex
Nautis puellas Phaenodamantis dedit,
Servans repostum mente ceti prandium,
Porro obsipare edacibus caenam feris,
Ubi ad crepuscos venerint Laestrygonas,
Qua squalet alta inhospitalis vastitas.
Illae parentis maximum donarium
Quinquertionis struxerunt templum deae,
Morte expeditae et solitariis locis.
Quarum alteram Crimissus assimilis cani
Vinclo marito coniugabit, atque ea
Semifero alumnum nobilem pariet deo,
Trium colonum conditoremque urbium:
Qui convocatum termitem Anchisae nothum
Ducet triquetram marginalem ad insulam,
E Dardaneis nuper arvis hospitem.
Heu heu Segesta, caelitum sententia
Te luctus atrox, te querela patriae
Manet flagrantis ignis hostici rogo:
Tu sola moeros, sola turres dirutas
Ad omne tempus lacrumata, sat diu
Sat eiulabis: omnis atrato miser
Cultu popellus involutus supplice
Pedore deget squaleque aevum sordidum
Soloxque capitis terga foedabit coma,
Memorem procurans veteris aerumnae notam,
Multique circa Sirin et Leutarniam
Colent opima culta, qua miserrimus
Grossorum acutus supputator est situs
Calchas feritus unguló calvum caput:
Qua fluctuosa murmurat fuga Sinis,
Rigans amena Choniae novalia,
Urbem hi struentes Ilio cognominem,
Iram Minervae Buccinae accendent herae,
Cum Xuthidas in aede mactabunt Deae
Quicunque ad aram supplices confugerant:

Purasque connivebit illa pupulas,
Saevis Achaeis vapulantes Ionas
Videns, luporum et civicam agrestum necem.
Quando camillus publicus flamen cadens,
Primus tepente sparget aram sanguine.
Itemque saxa plurimi Tullensia,
Nec non marini prominens Lini iugum,
Regnata adibunt arva priscae Amazoni.
Emancipati feminae servae iugo,
Quam servientem strenuae viragini
Vagam repellet unda ad hospites sinus,
Exculpta cuius interemtae lumina
Leto cruento mirionem simium
Sternent, trifaci saucium longurio.
Crotoniatae civitatem diruent
Amasonis, fortem necantes virginem [*Amazonis?*]
Cletam, imperantem patriae cognomini:
Et inde terram mordicus quam plurimi
Proni prehendent, nec laboribus sine
Lauret[a]e alumni moenia aequabunt solo.
Alii Terenam, qua fluens Ocinarus
Recentat arva, februam eructans aquam,
Errore lixabundi et aerumnis colent.
Sed et secunda laude pulcritudinis
Cluentem, et almis ex Lycormaeis aquis
Fortem asperumque filium Gorgae ducem
Modo Libyssam Thracia in terram ferent
Flabella, tentis involuta linteis:
Modo ex Libyssa rursus Auster accidens
In Argyrinos versus et Ceraunia
Feret, sonanti turbine insultans salo:
Ubi victus illis durus exantlabitur
Lacmonii qui flumen Aeantis bibunt.
Civesque capiet Crathis omnes Colchicis
Polis propinquus Mylacumque terminis,
Quoscunque misit quaeritantes filiam
Aeae et Corintho, sponsus Eidyae, imperans,

Venans carinam perfidae sponsae veham:
Qui limpidum accoluere Dizeri alveum.
Melitem insulam alii non ab Orthrono procul
Vagi obsidebunt, quam iugosi plurimus
Circum Pachyni Sicanus lambit liquor,
Arcem petrosam ruminans cognominem
Olim futuram Sisyphei filii,
Curitis etiam Virginis splendens opus,
Qua vomit Helorus frigerantem gurgitem.
Avi peremtor hirpus Orthronum incolet,
Patrii procul fluenta Coscynthi expetens,
Et in procellis scrupeae moli insidens
Classem imperabit navigandam civibus.
Terrae paternae namque non annum integrum
Perduellionis patria reum frui
Sequestra iustae Furia vindictae sinat,
Ladonis udi larva roris accola.
Et inde vitans praelium anguiformium,
Abantiam post navigabit oppidum,
Ventansque propius terram Atitanensium,
Ad littus ipsum culmen arduum incolet
Libans Polyanthei Chaonitae flumina.
Calchantis atqui busta propter Itala
Fratrum duum mendacis alter cespitis,
Tumulum sepultis excitabit ossibus:
Bustumque ovillo vellere incubantibus
Veram in quiete dictionem proferet:
Salutiferque Dauniis vocabitur,
Cum fluminis gens lota Iuturnis aquis,
Gnatum invocabunt opitulum Aesculapii
Gregi benignum civibusque accedere.
Hoc nempe cunctis lumen Aetolis erit.
Ibi cruentum et omnium saevissimum,
Quando Salanga rura et Angaesos sinus
Cum venerint, ducis reposcent iugera
Boni novalis sumen, arvum haeredium:
Quos ad sepulcrum solitarium obruent

Vivos hiantis in soli voragine,
Sepulcrum et ipsis insepultum Daunii
Statuent acervo fornicatum saxeo,
Terram offerentes quam volebant sumere,
Cerebrisorbi filii apri bellici.
Sed filiorum Nauboleorum petent
Nautae Temessam, qua iugosus Lampetes
Illustre cornu verticis Hipponii
Salo tetendit: proque Crissae finibus
Crotoniatem portuosum pulverem
Taurorum arabunt ferreis dentalibus,
Patriam Lilaean et Anemoreae sola,
Amphissan et desiderantes atque Abas.
Setaea misera, rupium te crux manet,
Ubi numellis membrivincis ferreis
Misella passis compedita brachiis
Moriere heriles ausa classes urere,
Ad Crathin eiulante questu volturum
Rapina pendens, oscinum voracium:
Quin sortis ille mons tuae cognominis
Ponti procellis imminens, vocabitur.
Tamen Pelasgi ad alta Membletis vada,
Quicunque Corsicae appulerunt insulae,
Tyrr[h]enicum ultra murmur ad Lametios
Lucana habebunt gurgites novalia.
Illos ruinae duraque infortunia
Maestos habebunt non relaturos pedem
Propter mearum nuptiarum vim trucem.
Nec qui penates gestientes post petent,
Vitulationis pinguia adolebunt sacra,
Redhostientes gratiam Lucretio.
Nam tot ruinis tot malis Ericius,
Tot Martiorum coniugum aedituas nurus
Dolis rotabit, nec malis navifraga
Cessabit ignium excubans custodia
Ob caesi alumni fata, quem cespes recens
Effossus in tellure Methymnae teget.

Ast alius ad lavacra inextricabiles
Laquei nocentis caecus explorans vias,
Scelestae amictus involucro compedae
Manibus requiret impeditis exitus:
Caveamque subter balnei urinans, lacum
Cerebro recenter atque pollubrum imbuet,
Scena bipenni dissitus medium caput.
At umbra pulla pervolabit Taenarum,
Aversa abominanda scraptae munia.
Ego stabo propter naviam iacens humu,
Divisa aheneae securis verbere,
Cum mi sapinum stipitem aut truncum ilicis
Frondator aliquis ut opifex lumarius,
Illustre collum franget et tergum patens,
Et omne acerba lancinans corpus cruce
Excetra dipsas imminens cervicibus,
Iras amarae bilis explebit suas,
Ut non duelli iure captam, at succubam
Stimulo furoris ulta me implacibili,
Surdis querelis coniugem clamans herum,
Curram repente convolans perniciter.
Sed Vertagus parentis indagans necem,
Crudelis ensem merget extis viperae:
Gentile sanans prodigus malum malo.
Sed vir meus, rex servientis coniugis,
Lepidis coletur Spartiatis Iuppiter,
Honorum adeptus Oebali natis vice[s].
Meus nec ultra cultus ignorabitur
Obliviosis obrutus silentiis:
Colentque templis optimates Daunii
Salpas ad oram, quique servant Dardanum
Urbem, paludis proximi voragini.
Sed et caventes coniugale vinculum,
Pusae virorum taedio doformium
Comis recenter Hectoris nitentium.
Insignium formae aut notis natalium,
Arae lacertis implicabuntur meae,

Taedarum habentes acre propugnaculum,
Pullos amictus atque fucum corporis
Lito gerentes vestium tectorio.
Illustre numen his ego longum dea
Canar bacillos feminis gestantibus.
Luctumque multis virginum parentibus
Orbis relinquam retro, quae ducem impium
Deae latronem militarem Cypridis
Diu gementes, iure fraudatas tori
Mittent puellas sorte iniqua virgines.
Larymna, tum Sperchie, tum Boagrie,
Tu Cyne, tu Scarphea, vel Phalorias,
Urbsque alta Narycea, vel Thronitides
Vici Locrenses, et Pyranthia ardua,
Nec non Hodoedocea tecta Oilei[,]
Vos ob mearum nuptiarum crimina
Poenas Minervae scilicet magnae deae
Solvetis, annos mille virgines anus
Urnae nefastis nutrientes sortibus:
Queis insepultum semper in terra hospite
Hospes sepulcrum distrahetur fluctibus,
Cum membra cremiis ustulans infamibus,
Cinerem procellis ventilabit Mulciber
Columbae ab altis interemtae montibus.
Aliaeque noctu mortuis simillimae
Campos adibunt virginis Sithoniae,
Caecas ocellis aucupantes semitas,
Augusta Divae dum penetrent atria,
Votis cientes supplices Duelliam:
Magnaeque verrent aream scopis deae
Et rore spargent, iam caventes civici
Furoris aestum. nam vir omnis Ilius
Servabit illas, saxeum rodus tenens,
Aut aeneam secespitam, aut bupetiam
Acierim acutam, vel Phalacraeam rudem,
Manum studens satiare ieiunam necis.
Impune tunc plebs laude noxium efferet

Genus necantes, lege sanciens rata.
O mater, ó misella mater, nec tua
Laus interibit: quin virago Persei
Triformis Orca te canem pernoctibus
Saevam efferabit in viros nictatibus,
Quique imperantis Strymoni Caniculae
Delubra flam[m]is non colent ardentibus,
Pheraeam opima caede placantes deam.
Sed busti inanis insulare cespitem
Pachyni habebit culmen, ex insomniis
Heri timentis excitatum dextera,
Ad purum Helori funeratae marginem
Qui functae in oris inferet libamina
Triviae furorem scilicet timens deae,
Quod primus audens saxei iactus nefas,
Orco praeibit dux inhumani sacri.
O frater, animae plurimum frater meae
Dilecte, fulmenta aedium atque patriae,
Non frustra tauris imbues altaria
Caesis, tenentem Ophionis sedilia
Venerans opimo victimarum munere.
Sed rura te vectabit in natalia,
Graecis vigentem rura adepta gloriam,
Ubi palaestram docta mater Latia
Olim imperantem Tartaro trudens anum,
Furtiva solvit vincla partitudinis,
Gumiae mariti pullimanducas cavens
Epulas nefandas, nec saginavit dape
Alvum, faceta glutiens saxum vice
Suffarcinatum mollibus cunabulis,
Prolis sepulcrum triste semiferus suae.
Quin templa habebis insulasque Manium
Verruncus aurae pestilentis Indiges,
Ubi secutus Ogygi poplos satus
Oracla Medici Lepsii Terminthei,
Ex Ophryneis te sepulcretis agens,
Arcem ad Calydni ducet et terram Aonum,

Levamen acre, cum tumultus hosticus
Vastabit arva et Teneri donaria.
Sed et sufetes victimis Eetenii
Tuam favebunt ut deorum adoream. [*fovebunt?*]
Et Cnossum adibit atque Gortynis domos
Meae ruinae luctus, et caduciter
Ducum lababunt tecta. non enim innocens
Lembum biremem nauta piscator regit,
Leucum sequestrem regiae ductans dolo,
Odiumque caecis implicans mendaciis:
Nec ille parcet liberis, nec coniugi
Medae, furoris aestubus mentem avius,
Non Clesitherae filiae, cuius pater
Draconi alumno sponte nuptias dabit:
Omnesque cruda cedet in sacris manu
Cereris favissis, saucios crudeliter.
Decusque avitum illustre progenii meae
Aevum nepotes efferent in posterum,
Coronam adepti praeliis perduellium,
Terrae marisque ius tenentes principes:
Nec mentione postuma nomen carens
Celabis altis in tenebris, patria.
Tales relinquet consobrinus duplices
Meus leones, maximum Romae genus,
Gnatus venustae Vorticordiae, cluens
Mentis, nec acri poenitendus praelio.
Rhaecelon urbem qui prius ventans colet
Cissi ad supremum culmen, et Laphystias
Cornu rigentes feminas: Halmopia
Rursum exeuntem quem manet Turrenia,
Tepente Lynceus et redundans agmine.
Et Pisa, pecorosa atque Agylles pascua:
Miscebit hostis quocum amicum exercitum,
Adigens sacramento atque suppliciis precum,
Erro latentes pumilus ruspans vias
Terrae marisque: tum simul nati duo
Mysos regentis (cuius avertit deus

Vitisator hastam, membra vineto implicans)
Tarchonque tum Turrenus, immanes lupi
Sanci ferentes Herculis primordia.
Ubi refertam glisceram mensam dapum
Tandem voratam conspicatus asseclis,
Oraculorum fiet antiquûm memor,
Pinguique sub Aboriginum solo struet
Ultra Latinos atque Daunios sitas
Turres, alumnis fabricans numero pares
Scrofae nigellae, quam ab Idaeis iugis
Et Dardaneis collibus ductam avehet,
Quae tot nutrivit his pares numero sacres:
In urbe cuius ponet una imaginem
Sigillo aheno, delicosque grundules.
Et aede structa Myndiae Pallenidi,
Delubra ponet patriorum praestitum,
Quae sola, spreta uxore, spretis liberis,
Aliisque copum rerum opimitatibus,
Tandem senili cum parente praeferet
Velans amictu, cum canes duellici
In cuncta spolia sortientes patriae,
Soli huic ab ipsis aedibus praedam offerent
Et munus exportare quod cordi fuat.
Sic visus etiam perduellibus pius,
Multum cluentem laude belli patriam
Recidivam et ipsam deseret nepotibus
Urbem, suprema iuxta Circaei iuga,
Et trux Maricae littus, atque Argus ratis,
Phorcae paludis Marsionidis lacum
Titoniumque flumen, arcanis humum
Rimans opertas in vias canalibus,
Cacumen et Zosterium, qua virginis
Faunae Sibyllae scrupeum specus patet;
Pendente tofi fornicatum pumice.
Tot execranda tanta perferent mala,
Meae parabunt qui ruinas patriae.
Quid enim parenti maximi Promethei

Commune magni matre cum Sarpedonis,
Quas pontus Helles, quas petrae Symplegades,
Quas Salmydissus, quas inhospitus liquor
Scythis propinquus rupium arcet obice,
Tanaisque nullo gurgitum contagio
Mediam paludem dissecans, gratam incolis
Algum et pedarum perniones flentibus,
Ut primo pereant Carnii nautae canes,
Qui fronte roba tauriformem virginem
Rapuere Lernes institores improbi,
Sponsam ruinas ferre Memphiti duci,
Odii moventes signa utrique littori.
Namque et rapinae contumeliam gravem
Florentis Idae expostulantes incolae
Curetes, extulere captivam bovem
Paronis intra taurifrontis alveum
Ad sancta templa coniugem Saraptiam
Dictaea Cretes Stellioni principi.
Nec visi habere sat, ferentes par pari,
Ductore Teucro sed rapacem exercitum
Teucri Scamandro cum parente Draucio
Misere ad alma Bebrycum novalia,
Bellum ferentes muribus: quorum satu
Generis creasti, Dardane, autores mei,
Ducens puellam Cressam, Arisbam nobilem.
Secundo item misere furaces lupos,
Ut uniplotio vellus avertant duci,
Servabat acri quod draco custodia:
Qui cum Cyteam venerit Libysticam,
Et quadrinarem sopiens offa boam,
Vomentium ignes presserit dentalia
Urva italorum, elixus immiti rogo,
Non abstulit libenter arvigi cutem,
Sed et bidentem sponte sectantem auferens,
Germanicidam, pestitatem liberûm,
Picae ad loquacis alveum aurigans tulit,
Humanum ab altis Chaoniticis sonum

Transtris loquentis, et peritae currere.
At rursus antro qui revulsi[t] mulleos,
Amentum et ensis, baltheum, atque ensem patris,
Cui Scyrus olim lacrumosa funera
Praecipitis infra stridulum umbonem iugi
Saltus parabit insepultos, Phemipor,
Mystae comes leonis, hosticae deae
Qui mulsit uber lacteum Feretriae,
Fur balthei litem excitavit duplicem,
Cestum revellens, et Themiscyrae inclutam·
Arcu putentem Porrimam civem auferens.
Cuius sorores virgines Neptunides
Erim atque Lagmum deserentes, Telamum,
Fluenta Thermodontis atque Actae iuga,
Poenas rapinae quaesitantes asperas,
Istri uls sonantem gurgitem citas equas
Egere, hiantes horitorem oris sonum
Graecis, vetusti filiisque Erechthei.
Omnemque duro Marte vastarunt agrum,
Igne ustulantes patrimonia Mopsopi.
Meusque campos Thraciae populans avus,
Terramque Eordam, tum Galadraeum solum,
Peneum ad amnem panxit arvi terminos,
Servile vinclis imprimens collo iugum,
Virtute praestans iuvenis et forma suis.
At haec bubulcum suppetias pro tot malis
Cudonivestem sexque navium ducem
Mittens, ligone celsa fodit moenia.
Eum Moneta vorticordia coetibus
Deûm sacrabit, causa princeps luctuum.
Rursus Timolum deserentes voltures
Et Cimpson, aureumque Pactoli sinum,
Et aquas Paludis, cuius in cubilibus
Typhonis uxor aspero toro incubat,
Agyllan Ausonitin intrarunt, gravem
Saevis Liguribus, quique primo Sithonum
Duro gigantum sunt creati sanguine,

Certamen acris conserentes praelii,
Pisamque capiunt, et relinquunt omnia
Praedam duelli iugera, Umbris finibus
Propinqua et Alpium iugosis arcibus.
Litem supremus torris antiquam excitat,
Olim sepultos ignibus animans rogos,
Postquam Pelasgos haurientes Rhyndàci
Conspexit urnis in peregrinis aquam.
Lymphata at illa efferatis aestubus
Triplamque quadruplamque vindictam inferet,
Magnis ruinis littus adversum impetens.
Aderitque primus hic Iovi Lapersio
Cognominisque et Fulguritor Iuppiter,
Telis trisulcis hosticas flam[m]ans domos:
Quicum ipsa moriar, inque mortuis vagans
Tunc audiam illic illa, quae post elòquar.
Sed et secundus, interemti filius
In rete muti piscis immiti modo,
Terram cremabit hospitem Medici dei
Oraculis cum multilingui exercitu.
At rege lignatore tertius satus,
Figulam recenter virginem Branchesiam
Glebam solutam flumine inducens sibi
Terrestre egeno munus optanti dare,
Libro sigillum quod fuisset conduli,
Montana Phthirum regna solus incolet,
Peditem retundens Cara mercenarium:
Petulca cum nonaria eugium terens
Nictabit olim nuptias, catulliens
Turpi suburrae barbarorum nubere.
Quarti Dymantis sanguine a veterrimo,
Lacmòniique, tum Cytinaei, et Codri:
Qui Thingrum habebunt et cacumen Satnium,
Et marginalem pristini peninsulam
Empandae Educae plurimum invisi deae,
Patris virosae multiformis scraptiae,
Quotidiano quae libidinis lucro

Miseri lupinam patris explevit famem,
Extremam arantis terram Edonis hospitem.
Ast ultor acer Phryx necis sororiae
Rursus nutricem continentem diruet
Parici opaci, iura sincerissuma
Reddentis arte contumace pluribus:
Lalisionis aurium qui appendices
Flaccas recidens, tempora ornabit sua,
Muscis timorem sanguisorbis adferens:
Cui cuncta Phlegrae terra capta serviet,
Thrambusiumque culmen, atque caeruli
Rupes Titonis, atque Sithonum plagae.
Palleniumque iugerum, quod corniger
Rumo saginat, lixa gentis accolae.
Multas vicissim concitabit lacrumas
Quirinus aut Gradivus, aut quem dixeris
Ligurrientem pota caede praelia.
Sed non quiescet sic parens Promethei,
Sed pro universis stirpis unum Persei
Mittet gigantem, cui via mare hospitum
Erit pedestri, et terra navigabitur
Tonsis secanti rura. tunc Feretriae
Domus Quirinae tota flagrans ignibus
Cum moeniorum ligneo procestrio,
Faunum vocabit pestis autorem, augurem
Mendaciorum, Februique antistitem.
Crudaeque genti cuncta mandetur simul
Deglubta duplici delibrato cortice
Mansueta nutrix fructuum, atque arbos fera:
Exhaurietur omnis unda fluminum
Sitis calores affatim extinguentium:
Nubes sagittis eminus stridentibus
Super caput crebrescet, utque Cimmerae
Obnubet umbrae squalor obscurans iubar.
Qualis Locrensis non diu vivax rosa,
Et cuncta vastans velut aprica stramina,
Rursus feretur in pedes reciprocus,

Natantis alni caudicem, ut crepusculum
Puella serum, mobili visu legens,
Aheneo latronis ense territa.
Multi labores, multa belli funera
Erunt virorum, nunc gravis certamina
Ob sceptra regni fortiter certantium,
Nunc exaratis in boum novalibus:
Dum crudus heros sopiat bellum grave
Ab Aeaco atque Dardano ducens genus,
Thesprotus utrumque et Chaladraeus leo:
Omnem et supinans fratris eversam domum,
Formidolosos coget Argivos duces
Ditis Chaladrae saevum adulari lupum,
Et sceptra prisci principatus tradere.
Cui sexta iam post saecla cognatus meus
Manus feroces conserens quinquertio,
Terraeque aquaeque non recusans sagmina,
Inter sodales tum cluet veterrimus,
Partas duello primitu exuvias ferens.
Quid misera longum tempus in surdas petras,
Surdas procellas, irritas cautes loquor,
Sonos inanes oris incassum ciens?
Nostram obrogavit Nuptus antiquans fidem,
Rumore vano veriverbium illinens,
Mentemque certae dictionis augurem,
Passus repulsam quorum amabat assequi.
Veram esse faciet, et malo edoctus suo
Quis, quod iuvandi patriam nulla est via,
Carmentam abunde hirundinem laudaverit.
Tantum locuta est, et reciproco pede
Recta petebat carcer, atque in pectore
Sirenis expiravit ultimos modos
Clari sacerdos, atque Nesus filiae
Augur satelles, quale Picatum loquax
Monstrum, involuta verba lime tinniens.
Ego implicatum nuntiaturus tibi
Veni furentem virginis Fatuae sonum,

**Cum sim locatus saxeae custos domus.**
**Narrare cuncta[,] tum putare singula**
**Iussus, loquelae nuncius volubilis.**
**In melius autem Dius [ist]haec omnia**
**Vortat, tuo qui tutor assidet solo,**
**Priscam tuens possessionem Bebrycum.**

Explicatio obscuriorum verborum in versione Cassandrae.

6 Superstitiosa. *fatidica.* 10 dictionum, *oraculorum, Pacuv.* 18 cascum. *senem, Varr.* 20 ocris, *petrae.* 21 tenus, *funes, Plaut.* 22 Salaciam. *mare, Pacuv.* 23 columbariis, *foraminibus, quibus inseruntur remi.* 25 obstinentes. *ostendentes, Fest.* 26 suppara. *vela, Suid.* 33 Stlatis. *Navibus, Fest.* 34 manduces. *Fest. canis epithet.* 37 Formo. *Calido, Fest.* 44 Triquetri. *Siculi.* 46 Stinxit *pro* Extinxit *antique.* 47 Gumiam. *Voratricem.* 49 Mortam. *Parcam.* 55 subverbusti. *veribus usti, Plaut.* 58 parectatum. *ephebum.* 91 muricidam. *ignavum, Plaut.* 112 Murtiam. *Venerem.* 119 Melonis. *Nili, Fest.* 131 prosedae. *meretricis, Plaut.* 144 cataces. *claudae, Fest.* 153 secespitam. *gladium, Fest.* 159 Ocrin. *Petram.* 165 Suasam. *Ineluibilem.* 166 petillae. *albae, Fest.* 167 Picatae. *Aduncae, Fest.* 169 acceptoris. *accipitris.* 174 Angitiae. *Medeae.* 178 forma lice. *calido cinere.* 184 atabulis. *ventosis.* 185 incientem. *gravidam.* 196 Cascam. *Anum, Varr.* 201 circites, *annos.* 205 stropis. *funibus.* 211 redandruans. *referens, Fest.* 215 matriisque querqueris. *malis asperis, Fest.* 216 napuram. *funem, Fest.* 221 destina covi. *columna caeli.* 225 arcula. *infausta, Fest.* 229 nefrendum. *puerorum, Fest.* 239 ploxeno. *capsa, Fest.* 242 Suppus. *Supinus, Lucil.* 245 pedae. *vestigio, Catull.* 253 Sici[li]cibus. *Hastarum spiculis, Enn.* 255 fretum. *solum.* 260 celibari. *hasta, Fest.* 268 Tifata. *Iliceta, Fest.* 270 aginae. *in qua se vertit trutina, Fest.* 272 Rodi. *Massae.* 279 vinciam. *terram, Fest.* 286 aucto. *spacio.* 293 axe. *confertim, Fest.* 298 Procosque. *Proceres.* 306 Circum. *Circulum.* 327 cupencus. *mactator.* 328 clunaculo. *cultro, Fest.* 336 antiis. *capillis, Fest.* 354 signata. *virgo, antique.* 363 falanto. *caelo, Hetrusce, Fest.* 383 manubiae. *fulmina.* obstitos. *de coelo tactos, Fest.* 389 aras duplices. *saxa, Virg.* 395 pipulo. *convicio.* 400 abadir. *lapidis, Prisc.* 404 Uragi. *Plutonis.* 430 Teniris. *Parcis.* 436 sudaculo. *flagello, Fest.* 456 Runis. *Telis, Enn.* 480 Virae. *Hamadryadis nymphae.* 493 incito. *immoto.* 495 neronis. *robusti.* 510 subices. *nubes, Enn.* 531 Acceptor. *Accipiter, antique.* 558 arvigus. *aries.* 561 patales. *tauros, Plaut.* hostient. *ferient.* 573 alebria. *alimenta.* 576 Melonis. *Nili, Fest.* 592 haeredium.

*possessionem.* 607 insipante. *ingerente, Fest.* 613 Asilo. *Oestro, Virg.* 621 aguas. *spicas, Fest.* 640 lapi. *lapide, Enn.* 660 calpar. *scyphum, Fest.* 687 succrotilla fabula. *tenui voce, Titinn.* 691 clunarum. *simiarum, Fest.* 697 viriati. *robusti, Non.* 700 procapes. *radix, Fest.* 721 Solennia. *Solenniter.* 752 copulis. *rudentibus, Caesar.* 762 nefrondinum. *testiculorum, Fest.* 771 scrapta. *meretrix, Varr.* 778 frivolumque. *fragmentarum fictilium, Fest.* 793 passus. *rugosus.* 833 bisetus. *aper, Fest.* 854 hirneam. *pateram.* 862 vinulum. *molle, Plaut.* 868 Mancina. *Manca.* 876 ningues. *nives, Lucret.* 888 Lurae. *Oris, Fest.* 915 tenum. *funem, Plaut.* 918 pinsitore. *expulsore, Enn.* 934 prosimuriis. *pomeriis, Fest.* 938 Trossulum. *Equitem.* 944 lauricem. *leporem.* 950 Molae. *Martiae, Gel.* 952 Alumento *Laomedon, Fest.* 956 crepuscos. *occidentales, Varr.* 971 moeros. *muros, antique.* 975 squaleque *pro* et squallore. 1000 mirionem. *deformem.* 1001 trifaci longurio. *tricubitali hasta, Fest.* 1010 lixabundi. *vagi.* 1051 dictionem. *oraculum, Pacuv.* 1105 Scena bipenni. *Dolabra, Liv.* 1107 scraptae munia. *scelerata, Titinn.* 1138 Lito. *Uncto.* 1168 rodus. *lapidem, Att.* 1170 Acierim. *Securim, Fest.* 1199 Gumiae. *Voracis.* 1204 Manium. *Beatorum.* 1212 sufetes. *optimates.* 1225 favissis. *cellis, Gell.* 1243 suppliciis. *supplicationibus, Fest.* 1250 glisceram. *crescentem, Fest.* 1264 copum. *copiosarum.* 1274 Maricae. *Circes.* 1290 Algum. *Frigus.* 1292 roba. *rufa, Fest.* 1315 italorum. *boum, Fest.* 1326 Phemipor. *Phemii puer: sic Marcipor, Fest.* 1336 uls. *ultra, Cato.* 1337 horitorem. *hortatorem, Diomed.* 1382 conduli. *anuli, Fest.* 1385 nonaria. *meretrix.* eugium. *ὑμένα.* 1399 Parici. *Iudicis, Fest.* 1400 pluribus. *mortuis.* 1418 procestrio. *ambulacro, Fest.*

# ORPHEI HYMNI SACRI, sive indigitamenta deorum, Versibus antiquis Latine expressa.

## Orphei Preces, ad Musaeum.

Praei verba sacris operaepretium patrandis,
Quae Musaee proculdubio numero omnibu' praestant,
Maie Iovis, Tellus, lumen genitabile Solis,
Lunai iubar almum, atque omnia sidera mundi,
Et tu Neptune Ambarvalis caerulicrinis,
Libera, Lustralis Empandaque, frugiferens Ops,
Deiana arcitenens, et Februe Dis iaculator,
Qui Delphorum habitas pomeria: tu quoque honores

Immanes indepte a Diis, Salisubsule Liber,
Mavors Nerienes, Volcani purima virtus:
Et Dea Spumigena rerum infinita potestas.
Et tu etiam omnipotens, Rex maxime Summanorum:
Diva Iuventa, Parunda, neronis numina Sangi,
Iustitiam augustam, atque augustam Pietatem,
Obtestor, pusasque viras et numina Fauni,
Iunonemque sacram Iovis omnipotenti' maritam,
Mammuriamque almam oro, Novensilesque Camenas,
Temperiasque, Venustatesque, Annique labores.
Latonum cincinnatam oro, et Murtiam amoenam,
Armigeros Salios, Lucumones, Grundulios que,
Atque potes Divos, Iovis immortale propagmen.
Idaiosque Camillos, et sirempse Deorum
Mercurium accensum, et Iuritis cortumionem,
Et noctem Maiam obtestor, lucemque diei:
Tum Fidiam, tum Fas et Fastam iura datantem.
Saturnumque et Opem, pallaque Veniliam amictam,
Oceanumque voco magnum, Oceanique puellas,
Et vires Telamonis, et Aevi saecula fessa,
Tempusque aeternum, atque paludis sagmina Avernae.
Mulciberosque Deos, lumenque illustre Monetae,
Et Manum Genium, atque Inuum mortalium homonum,
Coelestesque Ioves atque Aerios, et Aquantes,
Terrestres etiam, et Summanos Ignivios que,
Et Semelam, et Brumi fanantes rite cohortes.
Matutam Albumeam, Portumnumque omnipotentem.
Et Graecam Nemesim, et numen Victoriae Aiae.
Nec non patrinum coelestem Aesclapium amicum.
Et perterricrepae arma Minervae, et flamina bruta,
Fulminaque atque arguta quadri modulamina Mundi,
Maesium, Casnarem, Divûm Latiamque parentem,
Caelestemque Lubentiam, et indigetem Deum Adonem.
Principium et finem, namque ille est omnibu' totum.
Hos mites precor adventassere numine laeto
Ad mea Februa, et inferii libamina sacri.
Obtestor Triviam Deianam Caeligenamque

Terrigenam: sirempse voco, aequoreamque Paludem,
Et vitulantem inter nigros Lemures Libitinam,
Quae loca vasta colit, cervorum sanguen adulans,
Omnipotens regina, Canaria, Noctua virgo,
Carnea, perpetui mundi Bupetia sancta,
Dux, vira, Rumia, Diva vagans per scrupea saxa,
Mitis uti nostris intersit candida votis,
Numina praesenti gratans bona fausta bubulco.

## Orphei indigitamenta Deorum.

1 *Carniae Limentinae Forculae, sturacem.*

Adsis o veneranda Deûm, Maiesta Camilla,
Foetarum tutilina, et Lucina dolentum:
Sospita foeminci sexi, studiosa propagis,
Nummeria, atque novis nuptis Dea Forcula praeses.
Carnea, perfacilis, Picumna, eadem omnibu' mitis.
Quae cunctorum habitas aedes, epulasque frequentas.
Cinxia et invisa, ast factis eadem omnibu' parens.
Partum aegrum miserans, numero parentibu' gaudens:
Dia parunda, luens uterorum aegerrima claustra.
Te foetae vocitant, solamen dulce laborum:
Nam tu foetiparentum uterorum claustra resignas.
O Partuna Diana, Palatua, Limentina.
Suffice prolem almam, titula adstans parturientum.
Et serva, omnium uti cluis semper sospita Iuno.

2 *Noctis suffimen, torres.*

Tete Diva voco omniparens Divumque hominumque.
Principium est Nox omnium, et est Nox Murtia nobis.
Audi Diva parens, caligans, sideriluca.
Quae loca pigra colis, somnoque habitanda silenti.
Iucunda, et pernox, epulonaque, somnia gignens
Curifuga, atque optanda quies placidissima rerum.
Somnidua, omnium amica, et equiria, nocticrepusca.
Imperfecta, eadem terrestris, coelica rursus:
Vortens, omnimodis Dea Mostellaria ludens
Quae lucem legas sub Tartara, rursus ad Orcum

Manas: nam cogunt rerum invictissima iura.
Adsis o veneranda, optabilis, omnibu' grata,
Mitis, suppliciorum illabere vocibu' sanctis.
Adsis Diva, fugans Inui simulacra crepusci.

*Coeli suffimen, tus.* 3

Coelc Pater rerum, mundi pars irrequiete,
Casce parens, omnium qui principium, exitium omnium es.
Munde pater volvens am terram anfractibus magnis,
Coeligenum domus, praecipitans vortiginis orbe.
Coelice, terrestris, custos cortinaque rerum,
Amplectens naturai pollentia iura;
Coerulee, indomite, et Volturne parens, Vortumne,
Omnituens, Saturnisatorque, superrime Dive,
Huc ades, atque novo vitam moderere Camillo.

*Ignis suffimen, crocum.* 4

Qui Iovis in tectis dominaris pervigil ignis,
Stellarum, Solis, Lunaique omnipotens pars,
Omnidomans, spirans, animantum vividus ardor,
Caerula celsa regens, elementum nobile mundi:
Flos ignite, iubar genitabile, siderilune,
Cum precibus calo te innocuumque et temperium esse.

*Primigenii suffimen, murra.* 5

Primigenam obtestor geminum, magnum, aerivolgum,
Indugenam, pinnis aureis illustribus aptam;
Taurigenam, Divûm atque hominum genitabile semen.
Antidea in terra celebre et memorabile numen
Inductum, Latium, torrentem, nobile germen.
Qui creperam extersti caecis caliginem ocellis,
Pervolgans mundi nutantibu' moenia pennis:
Lumina praepandens, hinc Lunus diceris esse,
Mutinusque Deus, et Noctilucu' crepuscus.
Sed Voltorne pater, Semo laetissimus adsis,
Flaminibus sanctis ad festum pandiculare.

6 *Siderum suffimen, aroma.*
Mundi signitenentis ovantia lumina flammis
Casta voce calo, Geniosque volubili' coeli,
Sidera mundi clara, minuti nocti' quirites,
Circitibus magnis coeli cava conficientes,
Fulgentes, igniti, omnium genitalis origo,
Fatiferi, Mortae signantes iura severa:
Aptantes divinum itiner mortalibu' primis,
Septenumque tribuni castrorum aerivolgi.
Caelica, terrestris gens, flammivaga, irrequieta:
Nocturni, creperi, observantes pallia furva,
Flammas scintillantes, laeti, pervigilesque:
Elicio vos ad festi sacra conscia cultus,
Faustam allucentes facem ad omnia adorea facta.

7 *Solis suffimen, libanomanna.*
Princeps qui aeternis oculis opera omnia lustras,
Titane illustris, praestans, covi omnipotens lux.
Indugena, irrequies, speculumque animantium amicum:
Dextume, Matutae pater, alme, sinistume noctis:
Temperias moderans, persultans quadrupedanter,
Gradive et torrens, ignite, venuste, curulis,
Conficiens itiner rapida vortigine cursus:
Atque piis hominum dux fauste, nefantibus hostis:
Et fidicen, numerum pinsans modulamini' celsi:
Dux faustorum operum, genitor bone Temperiarum.
Mundiperans, oscen, flammans, circaneus ales:
Lucifer, indagator, alebriu', frugifer, alme,
Igneu', pure, pater tempestatum, omnipotens Dis,
Sude, micans, agilis, mundi stellantis ocelle,
Occidue, et redivive iterum immortalibu' flammis.
Quaestor Iustitiai, aquilustrius, atque here mundi,
Sange, Iovis fidius, supreme atque omnibu' praesens:
Iuris cortumio, vitae lux, trossule equiri,
Quadriiuga arguto instigans soraca flagello,
Ted oramu' Camillis vitam alluxe beatam.

*Lunae suffimen, aromata.* 8

O Regina potens, Lucina, superrima virgo:
Luna patali', Venus, Noctuvigila, aerivolga,
Pernox, taedigerens, stellis comitia, Luna:
Iana novella, senescens, foemina, masculus idem:
Luna autumna, micans, saeclorum mater equestris:
Succina, Vaeiovis, illustris, dilucula, pernox:
Omnituens, levisomna, cluens stipantibu' signis.
Laetitiae locupletis amans, pacisque Vacunae:
Percoquifrux, Trivia, Lucetia, noctis ocelle.
Astrica, praetextata, obstita, Minerva virago,
Huc ades o stellata lubenter, splendida, fulgens
Luce tua, et tu supplicibus, studiosa, faveto.

*Naturae suffimen, aromata.* 9

Natura omniparens, doctissima, daedala mater,
Caeligena et Maiesta, faber, Regina venusta,
O victrix, invicta, magistra, eadem omnibu' lucens,
Induperans, et honora, et praestantissima rerum:
Primigena, aeterna, incanaque, casca virago,
Noctua, signitenens, Lucinaque, et omnipotens vis,
Mollia suspensis pedibus vestigia librans:
Ornatrix augusta Deûm, infinitaque finis,
Nulli communis, communiter officiosa,
Indugena, sine patre, cluens virtutibu' magnis:
Flora, Venus, Pomona, Volupia, plurima saga,
Dux et sanga potis, Vitunaque, Rumia mater,
Iuritis, satiasque venustatumque Suada:
Caelica, terricola, dans iura potentibus undis:
Semper amara malis, et semper amica piorum:
Saga, cata, omnidua, eductrix, regina, potestas
Aprilis adolescentum, indidem adulta resolvens.
Omnium tu pater et mater, nutrix quoque et altrix.
Nummeria atque beata, Ceres, vis Temperiarum,
Omniparens, figula, et multarum perfica rerum,
Aeterna, et motans, sapientipotensque Minerva,
Pilentum rapidum aeterna vortigine torquens:

Iuno Fluonia, circinaque, et Vortumnifigura,
Et maiesta curulis, honoraque, iuraque dictans,
Semper ovans supra regum caput, induperatrix.
Intrepida, omnidomans, parca, flammata, Tenira.
Flos vitae aeternae, immortalis, Mammuriae vis.
Omnia tu sola es: namque omnia tu paris ipsa.
Quare ted oro cum ditibu' Temperiabus,
Pacemque atque salutem age, et omnifera augmina rerum.

10 *Fauni suffimen, odoramenta omnigena.*

Faune ades Upilio, mundi substantia totus,
Caelum, salsa maris, terrai daedala sedes,
Spiritu' flammai: namque haec membra omnia Fauni.
Pervage Faune, Sali, collegaque Temperiarum,
Capripes et fanatice, ovator, siderivolge:
Vocibu' flexanimis mundi concenta figurans,
Larvarum Titule, humanûm remeligo tremorum,
Propter aquas gaudens pastoribus atque bubulcis,
Collimans, velox, Aiae igni', sodali' Virarum,
Omnigena, omnigenens, rerum celebrata potestas:
Mundiparens, Lucine, Iuturne, Autumne, nutritor:
Antricola, irritabili', iure Iovis capricornus,
In te nam omniparae terrai stant sola fixa,
Aeterni et cedunt laetantia marmora Ponti,
Et terram Oceanus lustrans anfractibu' salsis:
Portioque aeria, ignipotens alimonia rerum,
Et caput ad summum pernicia lumina flammae.
Nam concreta tuo imperio haec aeterna feruntur:
Naturamque tuis mutas pollentibu' iussis,
Multorum auctans in terra mortalia secla.
Ergo pater fanatice, ovator, ad haec tua liba
Vise, et vitai bene dones exita iusta,
Externans Inuos terrores finibu' terrae.

11 *Herculis Sangi Fidii suffimen, tus.*

Sange pater Titane, Nero, Nerien viriate,

Vastimanusque, invicte, aptus pal maria opima,
Volturne, auctor temperi', sempiterne, benigne,
Indicte, agrestis, bene votite, induperator,
Magnanimum cor habens, fera membra, salutifer augur:
Omnivore, omniparens, praestane, pater Tutane.
Qui Titulus clui', debellans incicora monstra:
Semper ovans pacis studiis, nutricis honorae:
Nate tuo ingenio, Terrai invicta propages,
Ignibu' primigenis florens, o die cluenti.
Matutam capiti gestans, noctemque crepuscam:
Sex bis ad occasum absolvens certamina ab ortu:
Diis experte, et inexperte, inconcusse lacertos;
Adsis, morborum averrunca piamina portans:
Et portenta move, quatiens sacra februa dextra:
Et mala praepetibus protela obscoena sagittis.

*Saturni suffimen, sturaca.* 12

Coeligenum Divorum, hominumque illustris origo,
Multivore, et Lustrali', Nero, Nerien, Titane:
Qui cuncta absumis, quique omnia perficis idem,
Vinclis indupedite per orbis vasta silenta:
Saturne aevi progenitor, Saturne dolose,
Terrai proles, et coeli signitenentis:
Stirps, genus, obstetrix, Titane endostrue, Opis vir,
Qui genitalis obis per mundi singula membra,
Calvitor, versute: favens orantibu' votis,
Aequanimum vitae finem mortalibus adfer.

*Latiae Opis suffimen, aromata.* 13

Ops veneranda, genus Vortumni Primigenai,
Quaeque agitas etiam volventia plaustra Trionum:
Tumpaniverbera, cerita, atque aericrepa virgo,
Mater magna Iovis, Latia, Ops coelesti', paluda,
Polcra, et honorata, et Saturni augusta marita,
Montibu' quae gaudes, hominumque ululatibu' sacris,
Ops Maiesta, parens bellicrepa, Nerio Dia,
Sospitaque et mendax, Picumnaque, Libera mater:

Mater coeligenûm, mater mortalium homonum:
Ex te etenim Tellus, sedesque superrima Coelus,
Et mare salsum, auraeque errones, aeriformis:
Quare dia adsis huc sospes numine claro,
Pacem producens cum rerum copia opima,
Eminu' protelans pestesque piaculaque atra.

14 *Iovis suffimen, sturaca.*
O venerande Iovis, Iovi' sempiterne, tibi ista
Averrunca damus nos, adtestataque vota.
O Iovis isthaec cuncta tuo sunt numine creta.
Terra tua est, Terraeque immania culmina montes,
Et mare, quaeque fretu aerio cortina recepta.
Induperans, Saturniu', Iuppiter, Elicius, Trux,
Omnigenens, atque omnium principium, exitium
omnium.
Fulgetrum, tonitru, fulgur, Iovi' progenerator;
Audi me Volturne, et da usurpare salutem,
Et pacem diam, et bona adorea divitiarum.

15 *Iunonis suffimen, aromata.*
Caeruleis innixa sedilibus aeriformis,
O Iuno regina, Iovis ditissima coniux,
Quae mortalia corda veges animalibus auris.
Nimborum mater, ventorumque omnigenitrix.
Nam sine te non est vitae spirabilis ardor:
Omnibu' participas immissa potentibu' auris,
Omnia sola tenes, atque omnibus incluta regnas.
Aeri' praecipitans stridore fluonia Iuno.
Sed te Diva parens obtestor, adorea, Maia,
Huc sodes venias volti ridente lepore.

16 *Neptuni suffimen, murra.*
Audi Neptune, Ambarvalis, Salsicapille,
Trossule, fuscinam habens manibus Neptune tridentem:
Caerula concelebrans vasti fundamina Ponti,
Ponti praetor, aquigrume, crepe, Terripreme acer,

Undifluens, et rava tuens, agitansque quadrigas,
Expergefaciens vegeto vada salsa tremore:
Tertia quoi sorti cessit tutela marina,
Scamigerum pecu amans, et aquas sali', caerule Die:
Siste statum terrae, aspirans bona navibu' flabra,
Pacemque atque salutem addens, et opum aurea dona.

*In Vaeiovem, carmen.* 17

Magnanime, induferûm pervolgans fulva silenta,
Tartarea atque crepusca, oblitera prata tenebris,
Tellumo Vaeiovis, arferio te hoc munere macto.
Dis qui cardineus Terrae cluis omniparentis:
Saecla nimis ditans mortalia frugibus hornis,
Tertia quoi sorti tutela obvenit Averni,
Caelituum solium, firmum stabilimen homonum.
Qui solum habes, ad castra obnubila, senta tenebris,
Longinqui, aeterni, et inexorabilis Orci,
Atque Acherunta atrum, terrai immane statumen:
Iura tenens hominum Mortai munere, sancte,
Conse, Deae Cereris pueram qui victus amore,
Gramineo raptam prato per caerula ponti
Quadriiugo avexisti equitatu ad Atthidis antrum,
Gentis Eleusinae: ubi sunt spiracula Averni.
Unice nota Deus censens ignotaque rerum.
Cerite, induperans, sanctissime, compos honorum,
Vatibu' praestitibus gaudens, et cultibu' sanctis:
Mitis ades, rogo te, laetus venerantibu' turbis.

*Tonantis Iovis suffimen, sturacem.* 18

Iuppiter, altisoni torquens loca flammea mundi,
Fulgetrarum animas crispans petulantibu' flammis,
Coelituum sedes conquassans fulmine sacro,
Flammigeris stringens streperos torrentibus ignes:
Tormina qui, nimbos, rubra tela, tonitrua bruta
Vibras, involvens animata rubentibu' telis,
Flammivoma, et perterricrepa, ir[r]itata ruinis,
Praepes, ovans telum, cordigrumum, horricapillum.

Insperatum, ardens, victricis missile dextrae,
Omnivorum insano plangens horrore tumultum,
Indomitum, horriferum, candenti flamine praeceps.
Caelivagum telum, velox, Iovis Elicii arma,
Quem tremit omniparens Tellus, quem marmora salsa,
Vivaque saecla, sonor tergens cum personat aures:
Luminibus fulgit species, rubra fulgura splendent
Aeris in caulis, et tenuia tegmina scindens,
Obnupti Coeli candentia fulmina torques.
Ast o Die, effunde iras apud aequora salsa,
Et montana iuga: haud tua robora magne latent nos.
Sed faveas sacris, et mentibu' grata repende
Vitai bona cara, vigentia regna salutis.
Et pacem Divûm, nutricem semper honoram:
Et victum aequanimis semper rationibus aptum.

19 *Iovis Fulgetrii suffimen, libanomanna.*
Obtestor magnum, perterricrepum, manifestum,
Aerium, flammantem, ignicreperum, aerilucum,
Nubium instigantem aestus singultibu' brutis,
Horrendum, insanum, indomitum, lustrabile numen,
Fulgetramque Iovem induperatorem, omnigenentem,
Tradere inoffensae vitai terminum amoenum.

20 *Nebularum suffimen, murra.*
Aeriae nebulae, aerivolgae, frugiparentes,
Imbriparae, per mundum agitatae ingentibus auris:
Fulmineae, ignitae, streperae, atque humectivagantes,
Aeris in gremio hortantes inamabile murmur:
Flaminibus pulsae stridentes impete magno.
Nunc vos roscidulae obtestor spirantibus auris,
Praecipitare imbres in terram frugiferentes.

21 *Divae Veniliae Salaciae suffimen, libanomanna.*
Oceani inducalo te glauca Venilia proles,
Caerulipalla, vagans loca per laetantia Ponti,
Am terrae finis exercita suavibus auris,

Murmura pulvinis ripae alludentia frangens:
Atque exercitiis sudis pellacibu' ludens,
Navibus exultans, pecorosa loca humida lustrans.
O mater Veneris, nebularum mater ovantum,
Et fontium omnigenum, liquentum suavibus undis:
Huc adsis nobis, et blanda illabere votis,
Navibus immittens animarum flamina suda.

*Terenti Consi suffimen, murra.* 22

O qui salsa tenes liquidi penetralia mundi,
Quinquaginta una pusis per caerula gaudens,
Coetibu' virgineis, genius maris alme Terente:
Fundamen mari', margo terrae, principium omnium:
Qui moliri' statum terrae, cum scilicet arces
In caveis olim indignantes murmure Cauros.
Sed motus terrae averrunca, et mitte ministris
Flaminibus, pacemque et opes, ditemque salutem.

*Salaciarum Nerienum suffimen, aromata.* 23

Pullae caeruleae, liquidi gens blanda Terenti,
Aedicolae, Latiae, ludicraeque, fluitantes;
Quinquaginta vago fatuantes marmore pusae
Tritonum currus sectantes pone, inhiantes
Semiferis Geniis quos vitreus educat humor:
Atque aliis quicunque colunt liquentia castra,
Undicolae, Salii, lustrantes agmina aquarum,
Undivagi, liquidi Delphini, glauca tuentes,
Vos oro magnam copem rem cette Camillis.
Nam vos festa coegistis Comitia primae
Liberi augusti, et Liberae augustai,
Lucinia cum matre, et Apollinere induperante.

*Iani Maii suffimen, sturacem.* 24

Te calo naturae salsae Maium aedituentem,
Primigenam, qui naturam egit in ordia prima,
Omnimodis mutans sacra foedera materiai,
Famiger et Consentis, callens omnia quae sunt,

Antideaque fuere, et mox ventura trahentur.
Nam natura prior Maio omnia commendavit.
Quare o nobis auguriis veracibus adsis,
Dans placidam vitae finem felicis habere.

25 *Telluris suffimen, omne semen, praeter fabas et aromata.*
Tellus Ops, mater Divorum et mater homonum,
Altrix, percoquifrux, intercidonea, larga,
Conflua atque adolescens, polcris frugibus augens:
Aeterni mundi fundamen daedala virgo,
Quae varias edis fruges maturrima partu:
Anna, paranna, augusta, empanda, opulenta, beata.
Suavifero exultans gemmanti gramine Dia,
Imbriprocax, circa quam signitenentia castra,
Et coelum aeternis vicibus torrentibu' fertur.
Diva parens auge terrae viridantia foeta,
Clara, favente animo, cum Temperiabus opimis.

26 *Matris Deum suffimen, varia.*
Mater cunctorum augustissima Caeligenarum,
Huc sis Maia Dea, confer ted ad tua sacra,
Taurivomos iungens citimos ad carra Leones.
Aeterni regina covi, celeberrima, honora:
Quae media mundi stas fornice, quod bona terram
Ipsa tenes, homines lactans Dea cicure pastu.
Ex te Caeligenarum, ex te mortalium origo est,
Et liquens natura tibi fluit, et maris humor.
Vestam te vocitant, atque Assidua indigitaris,
Quod duis humanis polcralia adorea multa.
Vise tuos castus, o candida tumpanicultrix,
Victrix, sospe' Phrugum, Saturni maxima coniux,
Moesia, Coeligena, nutrix, fanatica Dia:
Laeta adsis gratans festis rata cultibus signa.

27 *Mercurii suffimen, tus.*
Maiai stirps alma Iovisque, accense, viator,
Magnanimum cor habens, quinquertio, censor homonum,

Vinule, Multivole, internuntius, Argilethe,
Alipes, et mortalium amor, sermoni' minister:
Quem fraus, quem certamina adulant, almifer omnium.
Interpres variae linguai, Nundine Liber,
Sanguineum gestans caduceum pacis amice
Frugi, Coruciota, Locuteie, Aie, beate,
Atque operum Titule, et Titane necessibu' rebus:
Et mortalibu' praesidium venerabile linguae;
Adsis oranti vitae addens exitum amicum,
Cultu operum, memori menti, sermonibu' lectis.

*Carmen Liberae Proserpinae.* 28

Libera magnanimi Iovis adsis incluta proles,
Unigena princeps, esto hoc libamine macta:
Coniux Ditis honora, boni largissima victi:
Quae sub visceribus terrae dominaris Averno,
Parica, et cincinna, Iovisque insigne propagmen,
Manarum genitrix, Iovis infernati' tribuna.
Quam pusam arcano Iovi' semine progeneravit.
Mater multicrepi Volturni maxima Consi,
Lucina speciosa, et percoqua Temperierum,
Seria, regnatrix Larunda, frugibu' gliscens,
Corniger, illustris, mortalibu' grata virago,
Flora, gramineae quam oblectat spiritus aurae,
Corpu' tuum oblectans Terrae viridantibu' foetis,
Nummeria et foeta, Autumni sub tempore nubens,
Vita, itidem mors sola eadem mortalibus aegris,
Fordicida, etenim fers omnia, et omnia caedis.
Huc hera sis, fruges e terra funditus educ:
Blanda pace vigens, illibataque salute,
Et vita fausta mitem legante salutem,
Ad tua templa Dea, et potis indufera atria Ditis.

*Liberi Patris, sturaca.* 29

Liberum ego veneror, crepericreperum fatuantem,
Primigenam, geminum, Brumalem, terque renatum,
Cornigerum, agrestem, obscurum, arcanum, duiformem,

Cinctum ederis, taurifrontem, Mamertium amoenum.
Baiule, trime pater: vestifrondem, uvigerentem.
Consentis, Consul Iovis, et Proserpinae opacae,
Editus arcano nixu purissime Die:
Annue suppliciis, et blando numine sponde,
Mitem animum spirans, cinctutis proximus assis.

30 *Carmen Saliorum.*

Amburvatores, vestigia ahena prementes,
Collini Salii, Salisubsuli, et fatuantes,
Pulsifides, et talipedi, leue persultantes,
Armigeri, vigilesque, magistrique ominifausti,
Matri' Iugatinae latrones atque Camilli,
Augusti ad sermonis adeste faventiam amicam,
Et semper placata occurrite mente bubulco.

31 *Carmen Minervae Captae.*

Magnanimi Iovis unigena stirps, Dia Minerva,
Dia beata, ferox, bellicrepa, Neriene,
Dicta indicta, itidem celeberrima, et antricolona:
Concelebrans ruptas scruposa palatia cautes,
Deliciasque tuas, viridaria montium opaca,
Armipotens, furiis figens mortalia corda:
Torvo animorum exercitio Bellona virago.
Atriparens, tedarum expers, Gorgonitrucida.
Tu Furia infandûm, sapientia sola bonorum,
Mas et femina Belliparens, indostrua tota,
Vortumna, atque excetra ferox, fanatica, honesta,
Ultrix Titani, Phlegrensis, equiria, volgi.
Capta, malae noxae Averrunca, Feretria virgo.
Iam lucu, noctu, supremo in tempore quoque
Annue adoranti, et pacem largire beatam,
Temporibus faustis, satiatemque atque salutem,
Caesia, et artiparens, multum votita Camilla.

32 *Divae Victoriae suffimen, manna.*

Obsecro te Victoria pos, gratissima rerum,

Endo procinctu cernentia quae agmina ferro
Et rixam luis alterutris ex partibu' pugnae,
In bello cernens, ut quis palmarium adeptus,
Quis tu cumque favens praestas dulcissima vota.
Omnia nam moderare, et grandis adorea belli
Tota ex te pendet, laetis vitulantibus augens.
Quare huc sis venias, cupienti Dia Dearum,
Semper praeclaro iungens operi agmina laudum.

*Apollini suffimen, manna.* 33

Februe te Iuturne precor, Tituicida, Luperce,
O Memphita, verende, salutifer, altor honorum,
O fidicen, Consive parens, Titane, Segeste,
Soriculate pater, Vaticane, excetricida,
Lucifer, agrestis, rex mustule, nobili' pubes,
Praesul, Casmoenisque sagittifer, arcitenensque,
Brume pater, collimatorque, obstite, gemelle,
Delie rex, qui illustrem aciem huc partiris et illuc,
Auricome, integra praecepta atque oracula fatans:
Pro populo orantem me coelitu' vise parumper:
Nam susum aspicis immoderata haec aequora caeli,
Et supera terras et noctem subter opacam,
Nocte silente, sub umbrae signitenentibu' flammis.
Radices statuisti infra: tibique extima mundi
Et tibi principium, tibi solvitur exitus omnis:
Omnivirens, fidibus tu coelica templa canoris
Permoderaris ad imae nunc confinia sedis,
Nunc ad primam iterum, nunc ad modulamina Dorii.
Coelum omnem varians, varias animantia secla,
Temperiis hominum moderans, aequalia fata,
Tantundem miscens hiemisque atque aestuis iisdem,
Discernens primis hiemem, inferioribus aestus,
At veris grati speciem modulamine Dorii.
Unde homines ted indigitant cognomine vero
Faunum cornigerum, ventorum sibila hiantem:
Quod magni omnis habes signacula daedala mundi.
Huc adeas here flaminibus pro supplice voto.

34 *Latonae suffimen, murra.*
O Latona gemellipara, trabeata, verenda,
Nerio Coeantis, multum votita, modisque
Morigeris, Iovio partu ditescere dulci
Promerita es, Februum Ianamque sagittipotentem
Progenerans, hunc in Delo, eam in Ortygia alta.
Ergo huc adventes praesenti numine Dia,
Huc ades, et sacro sis felix pandiculari.

35 *Deianae suffimen, manna.*
Huc, huc o regina, Iovis celeberrima virgo,
Libera, famigera, Titana, sagittipotensque,
